

A scienter aliquam iniquitatem, ad quam diuinum imploratur auxilium. Cætera nemo absque peccatis est, nec David potuit hoc de se dicere.

DE TERTIO.

Benedictus Deus.] Epiphoneina est, quo Psalmum cum gratiarum actione concludit. *Benedictus Deus:* id est, celebris sit Deus, deprædicetur Deus, laudetur Deus, omnes de illo magnificentissimè sentiant & loquantur. *Quare?* Quia non amouit orationem meam à se: id est, Quòd me exaudierit, quòd clementes aures porrexerit.

Nec bonitatem suam à me.] Ecce quòd exauditum se esse dixit, id iam tribuit manifestò non suæ iustitiæ, sed Dei bonitati. Crescamus ô fratres in isto diuinæ bonitatis sensu, imploremus opem illius: sed animis sinceris, vt experiamur & bonitatem illius, possimusq; hoc Propheta omnium hanc iucandissimam illi rependere *δοξολογία*.

PSALMVS LXVII.

AD PRÆCINENDVM IN NEGINOTH, PSAL. CANTICI.

ARGVMENTVM PSALMI.

Precatio est populi Israël, diuini erga se fauoris declarationem ambientis, ad hoc vt in se veluti quodam exemplari omnibus vbique terrarum gentibus bonitatis Dei cognitio ad ipsius gloriam & magnificentiam innotescat.

Dispositio Psalmi.

Tria principaliter hoc Psalmo aguntur. 1. Primò, expetitur gratia & beneuolentia Dei ab hoc Israëliti: versibus 1. 6. 7. 2. Deinde subiungitur, cur expetatur, vt via illius innotescant toti Orbi: versibus 2. 4. 3. Tertio, vt in illo exultent omnes populi, illum omnes passim mortales deprædicent & obseruent: vers. 3. 4. 5. 7.

DEVS faueat nobis, & benedicat nobis: serenus sit erga nos vultus eius. **VERS. I.**
Selah.

2. Ad cognoscendum in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutem tuam.

3. Celebrent te populi Deus, celebrent te populi omnes.

B 4. Latentur & exultent populi, quoniam iudicas populos in equitate, & populos in terra dirigis, Selah.

5. Celebrent te populi Deus, celebrent te populi omnes.

6. Terra dat prouentum suum, benedicat nobis Deus, Deus nostrè.

7. Benedicat nobis Deus, & metuant eum omnes fines terra.

Deus faueat nobis.] Græc. & vulg. Lat. legunt: *Deus misereatur nostri:* & loco Selah repetunt, *Et misereatur nostri.* Cætera satis concordant. **LECTIO.**
Vers. 1.

PRIMA PARS PSALMI.

Deus faueat nobis.] Notum est verbum *פן* fauoris habere significationem magis, quàm misericordiae. Misericordia locum habet in calamitatibus: fauor verò non in calamitatibus solùm, sed & in rebus prosperis. Proinde germanius est, vt legamus, *Deus faueat nobis:* quàm, *Deus misereatur nostri.* *Benedicat nobis,* idem est atque, benefaciat nobis. *Serenus sit erga nos vultus eius.* *Vultus serenitas* metaphoricè beneuolentiæ & fauoris significationem habet, vt nihil aliud sit quod dicunt: *Serenus sit erga nos vultus eius:* quàm quod dixerunt, *Faueat nobis.* nisi quòd per vultus serenitatem indicium datur fauoris, qui in animo erga dilectum fouetur.

Non frustrà est, quòd primo loco gratiam & fauorem Dei ambiunt Nisi enim ille fauerit, impossibile est quenquam seruari. Nam primùm certum est, in illius manu ita constituta esse omnia, vt nemo mortalium aliqua sibi in re prodesse queat, nisi ope illius adiuuetur. Ea verò nec promereri potest, vt cuiquam debeat, ne commutatione aliqua adæquari, ne vi acquiri. Deinde & hoc omnium est certissimum, quòd quæ nec promereri, nec precio vllò, aut vi acquiri possunt, per vnã hanc abundè administrantur, vt nulla in re egeat, quisquis illa potiatur. Hinc mox subiiciunt: *Et benedicat nobis, & serenet erga nos vultum suum:* beneficentiæ videlicet declaratione. Et Paulus: *Si Deus* **ROM. 8.**
pro nobis, quis contra nos? Quomodo namque deseret Deus, quos fauore suo prosequitur? Videmus quid reges impendant ijs, quibus bene volunt. Deinde, quomodo aliquo bono carebunt, quos Deus desere nequit? Eligitur huius loci duplex consideratio. 1. Vna: quòd benedictioni: id est, beneficentiæ Dei, fauorem illius, & gratiam, non nostræ iustitiæ meritum præmittunt: vt vbique in omnibus illius beneficijs non quid nos promeruius, sed quàm ille nobis faueat, agnoscere discamus. 2. Altera, quòd fauori Dei benedictionem ac beneficentiam illius subiungit, quo persuadeamur, certò benedictione Dei potituros, quoscumq; ille suo complectitur fauore.

ALTERA PARS PSALMI.

Ad cognoscendum in terra viam eius.] Hoc ad alteram Psalmi partem pertinet, quo ratio redditur eius, quòd primo versu dictum est: videlicet quam ob rem declarari in se diuinam gratiam & beneuolentiam petant. 1. Non dicunt, Vt bene nobis sit, & nos vniuersis gentibus conspicui habeamur.

P Longè